

Caspar Mauritius Henricus Henrici

## **Usus Logices & praesertim Fallaciae Ignorationis Elenchi In Controversiis Calvinisticis De Gratia Indefectibili Et Irresistibili : Exercitatio Quarta**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738379581>

Druck Freier  Zugang



R. u. Med. 1649.

Mauritius, Caspar /  
Vort: Henrici, Heinrich  
Exerc. IV.







USUS LOGICES  
& præsertim  
Fallaciæ Ignorationis Elenchi

*in*  
Controversiis Calvinisticis

*De*  
GRATIA INDEFE-  
CTIBILI ET IRRESISTIBILI  
EXERCITATIO QUARTA

*Quam*  
Ductore Spiritu Veritatis  
Consentiente Veneranda Facultate  
Theologicâ in celeberrima Universitate  
Rostochiensis

P R Æ S I D E  
*Viro Reverendo & Clarissimo*  
DN. CASPARO MAURITIO,  
S. S. Theol. Lic. & Log. Prof. Ord.

*Publica ventilationi subijcit*  
HENRICUS HENRICI,  
Segeberg. Holsatus.

*Habebitur in Auditorio Majori ad d. 21. April.*

✠(o)✠  
ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO cto 10c 1L.

*Mr. theol. Ross. 1049.*

*1649*



Handwritten ink scribbles or marks in the upper left corner.

GRATIA INDEFFE  
CTIBI ET IRRESISTIBILI  
EXERCITATIO QUARTA

Condensatione Verborum  
Theologia in subalternis  
Hoffmann

DR. CASPARO MARQUITIO  
S. S. Theol. Lic. & Reg. Prof. Ord.  
Publicae Institutionis

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

ROSTOCK  
P. NICOLAI KILIANI





EXERCITATIO QUARTA  
 De  
 GRATIA INDEFECTIBILI  
 ET IRRESISTIBILI.

RESP.  
 HENRICO  
 HENRICI  
 Segeberg.  
 Hof.

§. I.



ilectionem DEI seu misericordiae affe-  
 ctum universalem, universale meritum Christi, una  
 cum universali gratiae sufficientis per organa divi-  
 nissima oblatione hactenus expendimus: succedit  
 nobilium quaestionum biga, quarum prior est, an  
 gratia collata per verbum & sacramenta amitti  
 queat; posterior, an gratiae ad conversionem hominis destinatae, dum  
 illam aggreditur & molitur, resisti possit. Haec pertractata excipiunt,  
 cognatae quaestiones de voluntatis indifferentia atque libertate, deque  
 peccati causa.

§ 2. De inamissibili gratia primo loco agamus. Hanc statuere ne-  
 cessum habent, quicumque absoluti decreti effectum statuunt fidelium  
 perseverentiam, quique desertionem divinam cum Piscatore resp. ad  
 dupl. Vorstii pag. 245. contendunt esse causam desertionis humanae,  
 non autem hanc illius. Etenim cum electos Deus amore nunquam in  
 odium vertendo complecti dicatur, fieri non potest, ut gratiae illo gradu,  
 quem obtinent, excidant. *Quin mille peccata, imo omnia peccata totius  
 mundi Electionem irritam facere non possunt: fidelibus quippe & electis  
 nulla peccata, ut ut magna & gravia esse possint, imputantur, qui imo omnia  
 praesentia & futura iam remissa sunt.* Haec sunt ipsissima Calviniano-  
 rum verba, de quibus vide Syllab. Testimon. in Actis Remonstran. part.  
 2. pag. 213. seqq. His alia adde magis absurda: *fideles non posse non per-  
 severare in sanctis exercitiis vigiliarum, precum &c. eosdem fideles in ha-  
 ereses exitiales &c. prolapsos, propter quae Ecclesia cogatur testari se ipsos  
 in externa sua communione non posse tolerare &c. non posse tamen a fide  
 tot aliter nec finaliter excidere.* Et quod absurdissimum est: *verè fideles*

L

non



non posse deliberato consilio peccare, sed tantum ex ignorantia & infirmitate. Hæc suis adscripta authoribus vide loc. cit. pag. 211. seqq.

S. 3. Quæ sit super proposita quæstione sententia Synodi Dordracenæ, liquet cum ex thesiseu articulo V. & VI. Capitis quinti, ubi statuunt, electos enormibus peccatis Deum valde offendere, reatum mortu incurrere, Spiritum S. contristare, fidei exercitium interrompere, conscientiam gravissimè vulnerare, sensum gratia nonnunquam ad tempus amittere: donec per seriam & espiscenciam in viam revertentibus paternus DEI vultus rursus affulgeat: Deum, qui dives est misericordia, ex immutabili electionu proposito, Spiritum S. etiam in tristibus lapsibus, à sui (Davide, Petro &c.) non prorsus auferre: nec eorum, eos prolabi sinere, ut gratia adoptionis ac justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem sive in Spiritum S. committant, & ab eo penitus deserti, in exitium æternum se precipitent: cum ex his, quæ diximus, cum potissimum ex antithesi, qua reijciunt eos, qui docent, per severantiam verè fidelium non esse effectam electionis: item eos, qui docent, Deum quidem hominem fidelem sufficientibus ad perseverandum viribus instruere, at paratum esse eas in ipso conservare, si officium faciat: positu tamen illu omnibus, quæ ad perseverandum in fide necessaria sunt, quæq; Deus ad conservandam fidem adhibere vult, pendere semper à voluntatis arbitrio, ut perseveres, vel non perseveres: hanc sententiam dicunt manifestum Pelagianum continere: reijciunt quoq; eos, qui docent, verè credentes & regenitos non tantum posse à fide justificante isem gratia & salute totaliter & finaliter excidere, sed etiam reipsa non raro ex in excidere atq; in æternum perire.

S. 4. Reijciunt ergo nostram sententiam, quæ hæc est: Verè credentes & regeniti non tantum possunt à fide justificante, gratia & salute totaliter & finaliter excidere, sed etiam reapse haud raro à fide justificante penitus desiscunt, excidunt, atq; sic in æternum pereunt, nisi convertantur.

S. 5. Caterum, ut majori cum dexteritate in confirmatione thesios nostræ versemur, amolienda nonnulla duximus, quæ genuino thesios intellectui impedimentum obijcere possint. Primò regenitos cum dicimus, quoscunq; intelligimus, sive electi sint sive non electi. Adversarij quidem æquè late petere electos, fideles, regenitos putant, eosq; qui reprobi sunt, nunquam verè regentos aut fideles fuisse modis maximis contendunt, fidem temporariam à salvifica prorsus realiter & specie distin-



distinguentes: sed reclamante veritate. Si enim perseverentia ad fidei  
essentiam spectaret, nec ante obitum *αληθεια* & certitudo esse pos-  
set, & sine fidelibus militans Ecclesia futura esset. Nec obstat, quod tem-  
porarii Matth. 13. 20. seqq. petrosæ terræ comparantur, fideles autem  
bonæ: id enim fit non ratione fidei ipsius, sed ratione perpetuitatis & per-  
severantia. Multo minus obstat, quod dicantur radicem non habere.  
Id enim non ita simpliciter debere intelligi, vel hoc argumento est,  
quod dicitur illud quoq; semen exortum esse: hoc autem fieri non pos-  
set, si simpliciter radicem non haberet. Quare secundum quid intelli-  
genda illa verba sunt, nimirum, quod non habeant temporarii altas ra-  
dices. Adde, quod & verè fideles admonentur à Paulo, ut sint radicati  
in fide & confirmati Colof. 2. 7. adeoq; muniti adversas omnes tentatio-  
nes: quæ adhortione minimè opus erat, si nulla esse vera fides posset,  
nisi quæ altis innixa radicibus esset. Quod autem additur, temporarios  
nullos proferre fructus, id si contra nos urgeant Calviniani, ignoratio-  
nem Elenchi committunt: Fructus enim secundum Calvinianos non  
cohæret necessario cum semine veræ fidei, cum & lapsi electi careant  
fructibus, antequam resipiscant. Adde, quod non omnis hic fructus ne-  
gatur (dicuntur enim cum gaudio excipere verbum, qui est fructus spi-  
ritus) sed ille tantum, qui in tolerantia adversitatum ac tentationum  
apparer. Amiralduus Erotemate secundo statuit nobiscum fidem tempo-  
rariam & justificantem tantum differre gradibus, non specie. Argumen-  
ta ejus hæc sunt: quod illa evanescat hæc non: quod longè vehemen-  
tior sit illuminatio in hac, quam in illa: quod deniq; τὸ καλὸν species  
afficiat mentem in fide justificante, in fide vero temporaria species  
~~χρησιμὸς καὶ ἡδύς~~. Quæ argumenta suo loco relinquimus.

§. 6. Secundo ex dictis patet, de fide non qualicumq;, sed infusa,  
salvificâ, justificante sermonem esse, non de fide historica vel acquisita.  
Has enim amitti posse, utrinq; fatemur. Ubi illud quoq; explicandum,  
quod modo tangebamus, videlicet, non quæri, an electi & renati defice-  
re à fide possint respectu actus secundi: hoc enim ut concedant adver-  
sarii, validissime urgentur exemplis Adami, Petri, Pauli, Davidis, Salomo-  
nis. Nam & hunc electum esse statuunt ex reformatis plurimi. Quin-  
ipsa synodus Dordracena in eadem se esse sententia testata est, cum ora-  
tionem publicè habitam, in qua illa asserta fuit, silentio suo compro-  
bavit, & gratiarum actione per Præsidem facta dignam judicavit, de quo



vide Acta Remonstrant: part. 2. pag. 262. seqq. Hos autem omnes & singulos, cum turpissimè foedissimeq; laborerent, ad tempus satis longum fidei exercitium interrupisse, sensumq; gratiæ amisisse fatentur Dordraceni. Quæstio ergo est, an fideles absolute possint deficere atq; à fide & gratia Dei excidere respectu actus primi fiducialis & gratiæ DEI, hoc est, an non tantum salvificæ fidei actus sed & fidei ipse habitus amitti ab Electis & fidelibus possit.

§ 7. Tertio, cum per peccata nos contendimus fidei salvificæ habitum ipsum amitti, quæstio exoritur, qualia hic peccata intelligamus. Et infirmitatis quidem peccatis non amitti fidem & salutem utrinq; largimur. De peccatis ergo contra conscientiam quæstio est, deq; iis, qui pleno assensu peccant, atq; in carne & secundum carnem vivunt, an tales gratiam Dei & fidem retinere queant. Ubi duo Hassiacorum Theologorum enormia *σφάλματα* in Actis Synodi Dordracenæ notam effugere nostram non debuerunt. Utrumq; legitur pag. 805. quo in loco Hassiaci negant renatos contra conscientiam peccantes secundum carnem vivere. *nec, inquit, ex contemptu Dei, nec toto animo, & destinata quidem malitia, plenaq; voluntate, sed ex carnis, quæ in ipsis residua est, infirmitate, reluctante semper, licet non præ dominante, imo vero succumbente spiritu peccant. Nec in carne vel secundum carnem vivere dicuntur (quæ phrasis habitum denotat, & carnis regimen ac dominatum, qui in renatis locum non habet) licet opera carnis sæpè numero committant.* Hæc Hassiaci *καθ' ὑποτάσσειν ὑγιαίνοντων λόγων* contra scripturam & universam antiquitatem, contraq; semetipsos. De antiquitate res notissima est, meritoq; pudere Calvinianos debebat tam insulsæ sententiæ. Scriptura autem immediatè opponit vivere secundum carnem & vivere secundum spiritum Rom. 8. 5. seqq. Atq; ego David adulter & homicidæ, & Salomon idololatra secundum carnem tum vixerunt, aut secundum spiritum. Non posterius, ut patet. Ergo prius. Ipsi autem Hassiaci & sibi & scripturæ contraveniunt, cum negant simul dominatum carnis in renatis locum habere, & tamen fatentur spiritum non prædominari sed succumbere. Nemo enim vel duobus dominis potest simul servire vel neurri: nec fieri potest, quin, si dominatur spiritus, caro succumbat, & vice versa, si succumbat spiritus, caro dominetur. Hoc perpetua scripturæ sententia confirmat. A quo enim quis superatur, huic in servitutem est addictus 2. Pet. 2. 19. Atqui à concupiscentia superabatur



batur David, Salomo &c. Ergo omnino concupiscentia ipsis tanquam  
servis dominata fuit. Adde Rom. 6. 12. 20. Joh. 8. 34. &c. Periculosè au-  
tem & falso dicitur, quod non peccent renati plena voluntate. Sic enim  
quivis adulter, homicida, temerator nominis divini dicere possit, se  
pleno consensu non peccasse. Deinde adulterium Davidis aut fuit  
actio spontanea, aut invita, aut mixta. Non mixta vel invita. Quæ enim  
propter voluptatem agimus, non possunt inter invita referri: nec vio-  
lentum est, cui quis resistere potest: nec affectata ignorantia actionem,  
quæ ex proæresi est, reddere invitam potest. Ob mixtas autem actiones  
tam laudamur quam viruperamur, & veniam alias meremur, alias non  
meremur: quæ omnia in lapsus foedos renatorum non quadrant. Vid.  
Aristot. lib. 3. Eth. Nicom. cap. 1. Relinquitur ergo, quod sit actio spon-  
tanea. Si hoc, ergo pleno consensu, plenaq; voluntate patrata.

S. 8. Quarto, potest intelligi thesis nostra vel in sensu composito  
vel in sensu diviso. Si in sensu composito, puta, an renatus quatenus ta-  
lis, possit excutere, fidem vel etiam actu excutiat fidem, dicimus rena-  
tum, quamdiu talis manet, fidem non excutere. Neq; enim quæritur, an  
actu & re ipsa & necessario fideles defecturi sint, sed an deficere possint.  
Sed & hoc addimus, renatos, quamdiu tales manent, non amisisse fidem  
sed habere potentiam ab labendū, adeoq; dum stant, cavere sollicito de-  
bere, ne cadant. Si autem in sensu diviso capiatur thesis, hoc sensu, an,  
qui hodie fidelis est, cras fidem amittere possit, sæpeq; amittat, respon-  
demus affirmando.

S. 9. Quinto, phrasæ, expellere, excutere, exturbare gratiam &  
Spiritus Sanctum, quæ an præsentem materiam usurpantur, non denotant  
hostilem quandam vim ac violentiam, seu robur tate, quod sit fortius  
Spiritus Sancto, quasi is tanquam imbecillior recedere cogatur: sed illi  
dicuntur excutere Spiritum Sanctum, qui suo vitio gratiosa ipsius in-  
habitatione se privant. Quid ergo sibi volunt illa verba Synodi Dor-  
dracensæ, quæ habent Cap. V. art. 4. Etsi illa potentia DEI, verè fideles  
in gratia confirmantis & conservantis major est, quam quæ à carne su-  
perari possit; non semper tamen conversi ita à Deo aguntur & moventur,  
ut non possint in quibusdam actionibus particularibus à ductu gra-  
tiæ, suo vitio, recedere, & à carnis concupiscentiis seduci, iisq; obsequi.  
Neq; enim nos Dei potentiam dicimus à carne superari, sed vitio ho-  
minum fieri, ut ab ipsis Spiritus Sanctus recedat, dum carnis concu-  
piscen-



πισcentiis obsequuntur. Non enim habitat Spiritus Sanctus in anima polluta, sed ab ea recedit Sap. 1. Obiter notamus, rectè à Britannis in contristare Spiritum Sanctum explicari in Actis Synod. pag. 681. de iis, quæ ejus luctui resistunt, & servili quadam libertate concupiscentiis suis contra gratiæ motum & conscientiæ dictamen indulgent.

§. 10. Tandem, cum in thesi dicimus, *penitus* excuti fidem posse, observandum, vocem illam à nobis accipi pro ratione subjecti seu rei subjectæ, hoc sensu: quod à Davide v.g. cum esset adulter & homicida, Spiritus Sanctus penitus & prorsus ablati fuerit, ut non amplius gratiosè in eo inhabitaret, nec esset David templum Spiritus Sancti, quamdiu in tali statu mansit. Neq; tamen illud penitus accipitur respectu temporis futuri, quasi ab electis ita penitus auferri Spiritus Sanctus posset, ut simul finaliter ab eis auferatur. Verissimum enim illud est *πλουθύνω*: Electos haud deficere finaliter posse. Et quanquam electi pariter & renati enormiter peccantes non habeant in se permanentem vitam æternam, semper tamen iis patet accessus ad seriam conversionem, & consequenter ad vitam æternam.

§. 11. Firmandæ thesi nostræ adhibemus 1. aperta scripturæ dicta. Ezech. 18. 25, 26. Quum avertit se justus à justitia sua, & facit iniquitatem secundum omnes abominaciones, quas facit improbus, faciet & vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecit non memorabuntur, &c. Ebr. 6. 4. seqq. & 10. 26. seqq. dicuntur quidam reprobi semel fuisse illuminati, gustasse donum illud cœleste, participes facti Spiritus Sancti, gustasse bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi, renovati esse: item agnovisse veritatem, sanguinem fœderis, per quem fuerant sanctificati, profanum duxisse & Spiritum gratiæ contumelia affecisse. 2. Petr. 2. 18. seqq. dicuntur quidam reprobi verè effugisse eos, qui in errore versantur, inquinamenta mundi per agnitionem Christi effugisse, & iis rursus implicari, cognovisse viam justitiæ, regredi à sancto mandato sibi tradito, redire advomitum instar canis & instar loræ suis ad volutabrum cœni. His adde, quæ de temporariis dicuntur, quod cum gaudio recipiant verbum & ad tempus credant, de quibus dictum est thes. 5.

§. 12. Ad hæc Scripturæ dicta excipere nonnulla solent Calviniani. Et ad locum quidem Ezechielis, esse eum conditionatum: conditionem autem nihil ponere in esse, ut loquimur. Præterea, vocem justii non significare eum, qui reverà & κατ' ἀλήθειαν talis, sed vel eum qui

κτ' δό.



*ἡ δόξα* & secundum opinionem est iustus, vel eum, qui secundum iustitiam legis est iustus. Eodem modo mortem quoq; & vitam vel de aeterna accipi vel de temporaria, & de hac loqui Prophetam, non de illa. Ad loca Ebr. 6. & 10. ea ibidem esse conditionatè prolata, nec agi hic de verè fidelibus, sed fidelibus putativè & ex opinione aliorum. Ad locum tertium Petrinum eadem ferè excipiunt. Sed hæc omnia furilia sunt, & ad severam ipsorum texuum sententiam ac majestatem collata liquefcunt atq; evanescent. Quanquam enim conditio nihil ponit in esse, ponit tamen aliquid in posse. Adde, quod in originali textu nulla conditio apparet. Nec sine causa, quod sub forma interrogationis fuerat propositum vers. 24. mox v. 26. repetitur sine nota interrogationis. Quod si defectibilitas absolutè impossibilis fuisset, frustra Deus seriam exhortationem cum comminatione conjunxisset. Tandem hinc sequeretur, pariter improbum resipiscere non posse. Ut enim conjunguntur cum iustis, ita eadem utrorumq; est ratio. Porro, iusti vox quomodo sit capienda, liquet ex opposito improbo, qui non est talis opinione, sed res. Adde, quod hic dicatur iustitiam suam deserere: nunquid veri ullam similitudinem habet, dicturum Deum, talem hominem putativam iustitiam deserere, cui etiam attribuit iusta facta? Finge hunc esse sensum: Si hypoerita desinat esse hypoerita, & peccatam impiè vivit, morietur: annon moriturus fuisset, etiam si in hypoerisi perseverasset? Quod autem hunc locum de morte temporaria accipiunt, vel etiam de calamitatibus, in eo sibi similes sunt, quod affingendo vocibus improprias & inusitatas acceptiones fenestram Socinianismo patefaciunt. Eadem ratio est iustitiæ legalis, quam hic quidam fingunt, quasi vel ea possibilis, vel ea uspiam in Scriptura tantum promissionem haberet vitæ præsentis. Ad loca Ebr. 6. & 10. exceptiunculis opponimus *ἡ φωνὴ τοῦ θεοῦ*, quid de verè regentis etiam explicandum patet, ex Eph. 1. 18. Confer Ebr. 10. 32. 2. Cor. 4. 46. Monstrent Calviniani *ἡ* gustare donum ecclesie, participem fieri Spiritus Sancti, gustare bonum Dei verbum & quanta sit efficacia eorum bonorū, quæ in vita futura expectantur: item *ἡ* prolabi, agnoscere veritatem, renovatos esse, sanctificatos sanguine fœderis posse ullo vel veri colore, attribui iis, qui non sunt vera fideles. Idem urgemus in loco Petri, ubi doceant, etiam putativè fideles dici *ἡ* effugisse eos, qui in errore versantur &c. Hæc autem omnia cum  
condi-



conditione, sed impossibili dici, contendere, est omnem aculeum & stimulum adimere orationibus divinissimis,

§. 13. Secundo exempla producimus eorum, qui fidem & gratiam Dei penitus amiserunt, in horrenda scelera prolapsi. Adamum Calviniani rectè statuunt una cum Eva salutem æternam adeptum; vide Leidenfes Synopsi Disp. XIV. Th. ult. At quis peccatum omnium gravissimum admisit, quod ipsum & posteros æternæ morti obnoxios reddidit. Nec potuere tunc protoplasti cum laberentur, in gratia Dei manere. Adde exemplum Davidis, Salomonis, omniumq; adeo in infantia baptizatorum reproborum, qui in baptismo quidem Christum induerunt, atq; sic non potuerunt in gratia Dei non esse, posteaquam vero relicta via justitiæ implicati sunt inquinamenti mundi, non potuerunt illa gratia Dei non excidere. Agmen horum exemplorum claudunt Hymeneus & Alexander, quos Paulus ait circa fidem naufragiū fecisse 1. Tim. 1. 19. In quem locum rectè notant Britanni in Actis Syn. pag. 765. Naufragum dici non posse, nisi qui verè in navi fuerit. Excipiunt ad hæc exempla, Davidem & Salomonem peccasse ex infirmitate, voluntate non plena, veros fideles habere promissionem, de non amittenda fide, si qui descendant à fide, eos nunquam verè fideles fuisse. Respondeo, indignissimas esse Theologis hæc exceptiones. Quis enim dicet ex infirmitate Davidem in adulterium & homicidium, prolapsum, qui non tantum probe noverat utriusq; peccati magnitudinem sed & deliberato animo, prævia inquisitione, interveniente nimirum temporis tractu, missis nunciis, mutato non semel consilio tandem adeo foede est prolapsus & ita quidem est prolapsus, ut perpetrato utroq; scelere nulla animum subiret poenitentia. Quomodo hæc glossa concordat cum eo quod dicitur verbum Jehovah sprevisse, fecisse, ut blasphemando, blasphemaretur nomen Jehovah, in hoc uno deliquisse, & valdè stulte egisse? Nunquid credendum est, nunquam ex infirmitate peccasse Davidem? Contradicit, Sam. 24. Idem de Salomone dicendum, cujus enormis idololatria cum gratia Dei stare nequit, nisi novam confingere Theologiam velimus. Promissionem quod attinet, nihil est. De ea Paulo nihil constitit, cum ad Rom. XI. sic scriberet: Vide bonitatem ac severitatem Dei in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: In te vero bonitatem, si permanferis in bonitate. ALIOQUIN ET TU EXCIDERIS. Tandem, quod de verè fidelibus addebatur, ipsa textus

in-



nspectio solidè refutat. Ad quem enim modum in antecedentibus vox fidei accipitur, ad eundem modum capienda est in eo, quod sequitur. Atqui de vera fide loquitur Paulus, cum ad eam retinendam & servandam bonam conscientiam Timotheum hortatur. Quod autem dicunt quidam bonam conscientiam hic intelligi eam, secundam quam facimus, quod scimus, licet graviter etremus: hoc, inquam, commentum à textu, cohærentia nimirum cum fide, totiusq; scripturæ acceptione alienum & solis novatoribus dignum est.

§. 14. Deniq; sic arguimus: quicunq; incurrunt reatum mortis, gravissimè vulnerant conscientiam, quibus etiam opus est, ut per seriam resipiscentiam redeant in viam, illi sic à fide deficiunt, ut gratiam Spiritus Sancti penitus excutiant, nec ullam fidei scintillulam retineant. Atqui David, Adam, Salomo aliiq; quos modo commemorabamus, enormiter peccantes incurrerant reatum mortis, gravissimè vulnerabant conscientiam, eis etiam opus erat, ut per seriam resipiscentiam redirent in viam, Ergo. Majorem si quis neget, is vel terminorum vim non assequitur, vel data opera terminos ad suam hypothese[m] detorquet. In morte enim non potest esse filialis fiducia: vera quippe fides victrix est mundi, Sathanæ, mortis. In mortis æternæ reatu vita nulla sive in actu primo sive in actu secundo esse potest: mors quippe æterna & vita incompatibilia sunt, quorum unoposito, alterum prorsus excluditur. Porro ubi vita non est, mortis æternæ oppositum, ibi nec est beatitudo: ubi beatitudo nulla, ibi nec gratia Dei ullo modo locum habere potest. Idem dicendum est de conscientia vulneribus: positis quippe peccatis conscientiam vulnerantibus, & ut loquuntur Drentani part. 2. Act. Synod. pag. 429. conscientiam directe vastantibus sceleribus, non potest mors spiritualis & æterna non sequi, secundum illud Pauli: Qui opera carnis faciunt, regni Dei hæredes non erunt Gal. 5. 21. De poenitentia lapsorum vide quæ dicta sunt Exercit. I. thes. Tantum de majoribus. Minor est Synod. Dordracenæ Cap. V. arr. 5. Firma ergo stat conclusio. Quam vero Calviniani ab Universa Antiquitate, ipsoq; adeo Augustino, Prospero & aliis discedant, quando negant semel justificatos fidem amittere posse, de eo videatur Vossius Histor. Pelag. lib. 6. thes. 12. & 13. Idem Histor. Pelag. lib. 7. thes. 8. videatur: quo loco evidenter docet, quod nec negare Calvinus ipse lib. 3. Instit. cap. 2. sect. 2. Beza Not. in Epist. ad Rom. 9. 39. possunt, omnes Græcos Patres, & La-

M

tinus,



tiños, qui ante Augustinum fuerunt, electionem ex præscientia fidei, adseruisse.

§. 25. Sequitur controversia de gratia irresistibili: in hoc velut centro omnes Calviniani vetustiores pariter & recentiores consentiunt. Tanto magis connitendum nobis est, ut res tota in conspicuo ponatur. Quod fiet, si, quid ipsi hæc de re statuunt, quave ratione ipsis contradicamus, quas deniq; contradicendi causas primarias habeamus, more nostro breviter expediamus. Ordiamur à Calvino, qui lib. 1. Inst. cap. 3. num. 10. hæc verba habet: *Voluntatem movet (DEUS) non qualiter (NB) à multis sæculis traditum est & creditum, ut nostra postea sit electio- rum motiõni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo &c.* Et ibidem. *Citra controversiam elicitur ex Johanni verbis, sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili effecta sequantur. Qui ex Deo genitus est (inquit) non potest peccare, quia semen Dei in ipso manet. Nam medium quem sophistæ imaginantur modum, cui obsequi vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi adseritur efficax ad perseverandum constantia.* Hactenus Calvinus, cui adstipulantur Zachius, Perkinus, Gomarus, Thysius, Triglandius, &c. quorum testimonia videantur in Actis Synod. Remonst. part. 2. pag. 29. seqq. Sufficiat ad junxisse Synodi Dordracenæ definitionem Cap. 3. & 4. art. 12. *Regeneratio neatriquam sit per solam forinsecus insonantem doctrinam, moralem persuasione, vel talem operandi rationem, ut post Dei (quoad ipsum) operationem, in hominũ potestate maneat regenerari vel non regenerari, converti vel non converti; sed est supernaturalis, potentissima simul & suavissima, mirabilis, arcana & ineffabilis operatio, virtute sua secundum Scripturam (quæ ab Authore hujus operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorum resuscitatione minor aut inferior; adeo ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certo, infallibiliter & efficaciter regenerentur & actu credant.*

§. 16. In qua definitione Dordracenorum, ut in aliis plerisq; perspicuitatem desideramus. Notum enim est, quod operationi gratiæ resisti posse pleriq; docent Dordraceni. Helvetii in Actis Synodal. pag. 705. thes. 7. prolixè docent *hominem nondum regenicum sermoni gratiæ & salutariibus monitis natura resistere &c.* & thes. 8. *resistendi malignitatem in homine electo cum ante, tñ post conversionem omnino agnoscunt &c.* Britanni pag. 680. ita censent: *Quamvis Dei in ipso regenerationis opere*  
adeo



adeo potenter involuntatem agat, ut actualiter resistendi potentia proxima pro illo tempore suspendatur, remota tamen & in actu primo positam resistendi potentiam netum quidem funditus extirpat, sed in sua amararadice delitescere permittit. Quoad scilicet animo humano inest radix illa corrupta corrumpentisq; concupiscentia, certum est, una inesse non modo possibilitatem sed & pronitatem ad resistendum moribus Spiritus Sancti Gal. 5. 17. Sed hæc resistibilis propter efficacissimam & suavissimam motionem gratia, nequit in actum, secundum hic & hunc erumpere Prov. 21. 1. Hæc Britanni. Embdani pag. 725. distinguunt externam prædicationem Evangelii, internam illuminationem, atq; tractum singularem. Gratia externa prædicationis per contemptum negligentiam & carnales affectus: illuminationi quoq; communiori per præconceptas opiniones, negligentiam meditationis, etiam ab ipsis electis aliquando resisti contendunt. Leidenles Theologi in Censur. Confess. Remonstran. pag. 477. hæc verba habent: Sive respiciamus gratiam Evangelii, quod ministerium spiritus appellatur, sive etiam operationes internas Spiritus Sancti, quibus mentem homini de Evangelii veritate & suo officio convincit, fatemur hominem huic gratia operationi posse resistere. Vide Crocium Dissert. 12. th. 71. seqq.

§. 17. Hæc ergo est Dordracenorum sententia, posse quidem resisti aliquando ab electis gratia externa prædicationis, item, internæ illuminationis communioris: interim gratia illuminationis atq; tractus singularis proximè loquendo resisti non posse. Ubi protinus occurrit dubium, an hic tractus singularis sit irresistibilis tum ex parte Dei & gratia, tum ex parte ipsius voluntatis. Non enim desunt, qui contendant, voluntatem electi natura sua & respectu sui posse non credere, respectu vero Dei non posse non. Hi ipsi in consentaneè sentiunt, dum pro spontaneitate pugnant, incauti majorem voluntati libertatè quam spontaneitatem attribuunt. Ipsa Synodus haud satis perspicuè rem decidit. Respondeant ergo Palatini, quorum verba in Actis pag. 690. hæc sunt; Irresistibilis & optimo jure dicitur & est operatio Dei, tum ex parte gratia; quia efficax Dei operatio est in actu posita, cui nemo potest resistere, Rom. 9. 19. prout Christus de gratia sapientia Apostolus data dixit; cui omnes non poterunt resistere Luc. 21. 15. Et Petrus de gratia gentibus datæ: Ego quoniam eram, qui possem Deum prohibere Act. 11. 17. &c. Ex parte voluntatis: nam subdita gratia efficaci jam non vult resistere: & quia non vult, necessario non vult, sicq; resistere velle non potest salva sua libertate. Nam



*Unumquodquè dum est, necessario est.* Hæc Palatini velut interpretes Synodi Dordracenæ. Quanquam nihil ad rem dicant. Non enim quæstio est, an voluntas subdita gratiæ efficaci jam non velit resistere, atquæ dum subdita supponitur, non etiã possit velle resistere, hoc est, non quæritur de necessitate conversionis ex hypothesi, nimirum, si jam præsupponamus conversum esse, vel subditum esse gratiæ efficaci: sed de convertendo quæritur, annon possit omnibus gratiæ auxiliis in ejus potestate sit non converti? Hoc affirmantibus nobis Dordraceni negant.

§. 18. Eadem Palatini perperam & cum Elenchi ignorance allegant loca Rom. 9. 19. Luc. 21. 15. Act. 17. Primus enim locus objectionem continet, quam tantum abest, ut sanam agnoscat Paulus, ut respondens & obmurmuratorem illum ne responsione quidem directa dignum judicet. *Αποποιῶν πρὸς φέρειν λόγον τῆς λόγῃ μὴ δεομένοις, ἀλλὰ πᾶσι:* *absurdum enim est, ratione cum iis contendere, qui non rationem sed multam merentur,* dicente Aristotele lib. 1. Eudem. cap. 3. Cætera loca non agunt de gratia conversionis de qua hic loquimur. Nam quantum ad priorem attinet, extra controversiam positum est, intellectum hominis sæpè ita convinci à veritate Evangelii, ut irrefragabiliter assentiatur, nec quicquam, quod opponat, habeat. Quanquam enim vel per contemptum vel per negligentiam homo se opponere verbo prædicato possit, & ignorantiam affectare, tamen etiã invitis Evangelii veritas se insinuat tanta efficaciã, ut assensum suspendere nequeant, quem deponere & exuere, si possent, mallent. Non ergo quæritur, an intellectus hominis sæpè irrefragabiliter determinetur ad assentiendum: sed de voluntate est quæstio, an ad volendum converti determinetur irresistibiliter. Tertius locus agit de prædicatione Evangelii gentibus impertienda. Est ergo alienus à præsentis instituto. Et quanquam de Petri conversione ageret, nihil contra nos obtineret. Est enim extraordinaria gratia, quæ Petro, Paulo, Abrahamo contigit: nobis autem sermo est de gratia conversionis ordinaria, quæ per verbum contingit, an ea certis hominibus, electis puta, detur tanta, ut non possint non converti, reliquis non item.

§. 19. Cæterum resistere hic non notat actualem oppositionem, qua homo Deum oppugnet, ei obnitatur, eumquæ superet propriè loquendo. Male ergo Sibrandus Lubbertus (cujus judicium approbant Collegæ part. 2, Act. Synod. pag. 295.) dicit *impingere eos, qui affirmant, homi-*



hominem irregentium posse primam gratiam rejicere, addens, eam tantam habere virtutem, ut nulla creatura eam impedire, vincere aut superare possit. Cui hoc obscurum aut dubium esse potest, quin insuperabilis sit divina potentia, etiam ea, quâ in hominum conversione Deus utitur? Neq; enim eo respectu gratia dicitur irresistibilis, quasi is, qui resistit, majoris sit efficaciz, quam is cui resistitur: sed resistere idem est, ac non admittere operationem Spiritus Sancti, eidem non subjici, non obedire sive id positivè fiat, contemnendo spiritualia, mundana curando, amando, sive negativè non utendo donis oblati vel concessis. Scilicet resistere potest homo tum iis, quæ conversionem antecedunt, tum ipsi conversionem aggredienti gratiæ. Potest non audire verbum, illud non cognoscere, somnolentia & supinitate attentionem expellere, amore mundi & sapientia carnali fastidire spiritualia. Er ad ipsam conversionis gratiam oblatam potest carnalibus concupiscentiis implicitus assensum vel suspendere vel denegare, subjici vel non subjici. Summa, potest homo Deo conversionem ipsius aggredienti & serio intendenti rebellare, resistere, seu non obedire, non parere, resistere, inquam, Dei agentis intentioni.

§. 20. Id nunc breviter probemus. Primam rationem ducimus ex locis scripturæ, quæ id evidenter demonstrant. Familiam ducit locus Joh. V. 34. collatus cum ver. 40. Priori quippe versu ita alloquitur incredulos Judæorū Christus: *Hæc dico vobis ut salvemini: posteriori: Vos non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.* Conferatur Matt. 23. 37. ubi multoties Christus ait voluisse se congregare Hierosolimitanos, quemadmodum gallina congregat pullos sub alas suas, sed noluisse Hierosolimitanos. Act. 7. 51. Stephanos Judæos objurgat, quod semper Spiritui Sancto resistant, sicut resistebant Patres ipsorum. Esa. 65. 2. s. dicitur *DEUS expandisse tota die manus suas ad populum perversum, qui gradiuntur per viam non bonam post cogitationes suas &c.* quod repetitur Rom. 10. ult. Vide Proverb. 1. 24. Jerem. 8. 25. Luc. 7. 30. Esa. 5. 1. seqq. Hinc iusta Dei querela apud Ezechielem 12. 2. *Fili hominis in medio domus rebellis habitas, qui oculos habent ad videndum (NB. Conf. cap. 18. 32.) & non vident, aures ad audiendum, sed non audiunt: quia domus rebellis sunt.* Adde Marc. 8. 17. 18. Jerem. 5. 5. 21. &c. Quod excipiunt hic de externa gratia & prædicatione, agi, cui resistebant, non de interna, explosum est Exercit. Superiori th. 19. & 25. Ibidem respondimus ad id, quod excipiunt ad lo-



ea quædam, intelligenda secundū signi voluntatem, speciem externam, iudicium humanum, ut cum excipiunt ad locum Matt. 23 dici hæc à Christo, secundum humanam ejus voluntatem, non secundum ejus omnipotentem divinam naturam. Quo nihil ineptius, absurdius & plane contra Christi mentem dici poterat. Vide Johan. 8. 28. 40. Congregatio illa cui opponatur dispersioni, patet ex Matt. 9. 36. Joh. 11. 52. Esa. 53. 6. cap. 57. 17. Exceptio eorum, quod quædam loca v. g. Act. 7. de reprobis agant, qui omnino resistent, enervat vim scripturæ. Quæ enim hæc objurgatio erit: O vos reprobi, qui non potestis non resistere Spiritui Sancto, vos semper resistitis Spiritui Sancto sicut & Patres vestri, qui iidem resistunt, nec potuerunt non resistere? Deniq; ad locum Ezech. 12. excipere solent, per oculos & aures hic non intelligi gratiam conversionis & internam. Respondeo, per oculos non intelligi oculos externos liquidum est, sicut nec per aures intelliguntur aures externæ sed cor ipsum. Hoc enim Scriptura maximè respicit, tanquam exteriorum actionum fontem. Sic Zachar. 7. 11. dicuntur Israelitæ aures suas habetasse, & cor suum adamantinum effecisse, ne legem audirent. Sed & ipsi Calviniani non aliter solent loca Deut. 29. 4. Matt. 13. 19. &c. interpretari, nisi de auribus cordis à Domino perforatis & apertis ad exemplum Lidæ Act. 16. 14. Nec est, quod dicas, si gratiam conversionis internam habuissent, habituros fuisse vel cum effectu, vel sine effectu. Si hoc, non fuisse gratiam conversionis: si illud, futurum fuisse, ut converterentur. Respondeo, etsi dicamus fuisse sine effectu, inde tamen non sequetur, non fuisse gratiam internam: quam à Deo dicitur oblatam quidem, sed repulsam. Sed faciamus, fuisse cum effectu, non tamen sequetur, fuisse cum effectu ultimo: hanc enim humana malitia, impedit.

§. 21. Hæc sufficere poterant: addantur alia velut *en avoias*. Primum hoc esto: Quos Deus ordinariè per verbum Evangelij convertere intendit, illos irresistibili efficacitate non vult convertere. Atqui omnes homines ordinariè per verbum convertere vult. Ergo. Minor est aperta. Major inde patet, quia gratiæ verbi resisti potest ex confessione adversariorum. Deinde sic arguimus: Nullum coactum est spontaneum. Quod potentia irresistibili fit, est coactum. Ergo non est spontaneam. Conclusio est contra adversarios, qui spontè (quanquam non liberè) contendunt homines converti, Major est luminis naturæ. Minor patet



patet ex definitione Violenti *Violentia* quippe *actio est cujus principium foris est, & quidem tale, ut nihil ad ipsum adminiculi conferat is, qui agit vel patitur* Arist. lib. 3. Eth. cap. 1. Ubi duo requiruntur ad actionem violentam, ut principium actionis sit externum, deinde, ut nihil, qui agit vel patitur conferat, sed potius contrahatur. Quod enim verba ille nihil conferre, contrarie sunt intelligenda, in Ethicis docetur. Atqui utrumque in conversionem, quæ sit irresistibiliter, quadrat. Nam & principium foris est, & obnititur humana voluntas, ut dictum thes. 18. quanquam à superiori & externo agente vincatur. Tertio sic concludimus: Omnis conditio, quæ ab eo, qui illam alteri præscribit, irresistibiliter efficitur, non est conditio. Atqui fides est conditio. Ergo. Major patet: qui enim conditionem alteri præscribit, is eam vult ab altero præstari, non autem vult ipse irresistibiliter eam efficere. Minor est evidens, tum ex dictis: Si credideris, si perseveraveris, si in me manseritis Joh. 14. 15. &c. tum inde, quia præscribitur cum promissione præmii & comminatione mortis æternæ. Tandem ex gratia irresistibili dicimus duo sequi maxima absurda: 1. quod alij non possint converti, quàm qui actu convertuntur: 2. quod non possit quisquam prius converti, quam reapse convertatur. Sic omnes exhortationes, oburgationes sanctarum scripturarum una velut litura delentur, totaq; Verbi prædicatio redditur supervacanea & inutilis,

§. 22. Duo sunt potiora, quæ solent pro adstruenda gratia irresistibili adferre Calviniani. Primo dicunt causas secundas ita dependere in esse, fieri & operari à causa prima, ut ipsæ se ad actus nullos determinare possint, nisi prius à causa prima actus illi cum omnibus suis circumstantiis prædefiniti & in tempore ad eos ipsos causa secunda determinata fuerint. Secundo id quam maximè urgent, nisi statuatur gratia determinans & irresistibilis, futurum, ut efficacia gratiæ dependeat ab arbitrio humano. Vide Syn. Dordrac. caput III. & IV. Antithes. IIX, & IX. Posterius primum videamus, de determinatione humanæ voluntatis postea acturi. Ubi initio notandum est, quantum nos viribus humanis tribuamus. Distinguiamus studium verbi externum seu pædagogicum, & internum seu spirituale. Illud apparet, cum irrogenitus ad templum vadit, verbum Dei audit, idq; libenter nonnunquam: hoc apparet, cum verbum auditum lectumve corde illuminato devotè & cum promittitudine spirituali ac *calnes Poelæ* homo suscipit, obsequiumve præbet. Illud in viribus



viribus humanis est. Marc. 6. 20. Act. 24. 22. cap. 25. 19. 22. &c. hoc autem minimè. Illud etiam requirit Deus tanquam partem ordinis divini: nec dubitamus, Deum ordinariè studio illi externo se inferere & per verbum lectum, cogitatum pro incredibile sua misericordia & *φιλανθρωπία* auxilia gratiæ convertentis, prævenientis nimirum & excitantis adspirare. Atque hæcenus haud difficulter nobis assensuros Calvinianos speramus, quippe qui ipsi gratiam illam verbo inditam seu cum verbo indissolubili nexu conjunctam agnoscere videntur. Vid. Dissert. præced. th. 25. Porro quaeritur, an illius gratiæ excitantis efficacia pendeat ab humano arbitrio? Minimè gentiū. Dices, ergo datur gratia tam efficax, quæ humanum quoq; arbitrium flectere valet. Rectè, & hoc nos volumus. Instabis ergo efficacia datur irresistibilis. Absit vero: longè enim aliud est flectere, aliud irresistibiliter flectere, inclinare aliud est, aliud physicè inchoare seu prædeterminare. Fatemur, per gratiam convertentem verbo audito & lecto inditam inclinari hominis intellectum & voluntatem, non quidem physicè prædeterminando, ita ut quandam vim necessitantem imprimat in ipsam voluntatem sive immediatè, sive mediante ultimo iudicio intellectus practici, de quibus postea dicitur, sed partim moraliter per imperium, exhortationem, correptionem, satisfactionem, persuasionem, partim supernaturaliter modo ineffabili Joh. 3 8. Et sic intelligimus tractionem Joh. 6. 44. & *ἡγάπησεν* qua Paulus dicit se à Christo apprehensum Phil 3. 12.

§. 23. Si voti res esset, optarem, liceret nobis abstinere in Theologia à terminis istis Philosophicis; nam & simplicitatem fidei Apostolicæ inquinant, atq; malè fermentant, & inexplicabiles controversias parere solent. Superiori seculo synergismus seu cooperatio arbitrii humani Ecclesias vexavit: & certe minus rectè arbitrà Philosophià cooperatio causæ secundæ adscribitur. Dei quippe & gratiæ diviniæ est cooperari: hominis vero est operari, sed in virtute gratiæ. Calviniani unum fugientes extremum in alterum lapsi sunt, dum contendunt voluntatem humanam à Deo determinari. Si determinare ipsis idem esset ac supernaturaliter flectere, inclinare, etiam infallibiliter inclinare, cum ipsis non pugnaremus: promissionibus quippe divinis certissimisq; se obstrinxit Deus, quod hominem legentem, meditantem, audientem Verbum Dei ad conversionem flectere, aut, si mavis, determinare & ad certum finem ordinare (convenientius enim scripturis dici non diffitemur, deter-



determinari seu flecti voluntatem humanam à Deo, quam voluntatem se ipsam determinare, flectere & inclinare) sub hac conditione, si homo malitiosam & novam resistantiam atq; contumaciam non opponat. Nunc autem, quando determinari idem ipsis est, quod fataliter & absolute necessitari, extreme dissentimus. Hanc enim necessitatem dicimus & vim facere libertati, & Deum constituere omnium eventuum, actuum, etiam pessimorum, primariam causam. Quod postea pluribus demonstrabitur. Nec est, quod dicunt, necessitatem quandam stare posse cum libertate, videlicet eam quæ est ex hypothesi. Respondemus, falsum id esse, si suppositio sit antecedens libertatem nostram, & talis, quæ non sit in nostra potestate. Dices, necessitatem stare posse cum voluntate libera, sufficere, quod illa non cogatur. Respondemus, coactionem non posse tollere libertatem, cum voluntas cogi non possit. Necessitatem autem omnem antecedentem sive sit effectiva, sive sit objectiva (de utraq; postea dicetur) dicimus stare cum indifferentia voluntatis non posse.

§. 24. Ex iis, quæ hæcenus dicta sunt, patet, quæ sit causa, cur alii convertantur, alii non convertantur. Nempe alii convertuntur quia non obijciunt impedimentum novæ contumaciæ, alij non convertuntur, quia novæ & malitiosæ contumaciæ obicem ponunt. Neq; qui non impediunt, dici possunt cooperari ad conversionem suam: nisi quis contendat, eum, qui non obvelat fenestras, cooperari vel adjuvare solem in ædibus illuminandis. Si amplius quæras, cur alii contumaciam opponant, alij non: respondemus, quod ideo quidam contumaces sint, quia esse contumaces volunt & per naturam depravatam possunt: contra ideo alij non sint contumaces, quia contumaces esse nolunt, atq; opponere contumaciam nolle per vires gratiæ operantis & excitantis possunt. Tandem quæres, annon ille, qui non resistit & sic convertitur, dicendus sit majorem gratiam habere, quàm alter, qui resistit & non convertitur. Respondemus, ordinariè gratiæ gradum primum habere & eum qui convertitur, & eum qui non convertitur: gradum vero amplio rem solus ille nanciscitur, qui convertitur, gradum nempe gratiæ cooperantis, adjuvantis, quem excipit gradus gratiæ specialissimæ, quæ propria est perseverantium & Electorum. Habenti quippe dabitur. Vide, quæ dicta sunt dissert. II. th. 14. & dissert. III. th. 20. 21.

§. 25. Jam ad determinationem humanæ voluntatis vel potius  
N  
Physi-



Physicam prædeterminationem veniamus. Hic duæ sunt celebriores  
 Calvinianorum sententiæ. Altera est Cameronis, Amiraldi, Maccovii  
 & aliorum, qui statuunt quidem voluntatem humanam à Deo determi-  
 nari sed non immediatè, verum mediante iudicio practici intellectus.  
 Quæ sententia, quomodo contraveniat decreto Synodi Dordracenæ, de-  
 finientis ipsi quoq; cordi & voluntati infundi novas qualitates & habi-  
 tus, vide apud Spanhem. de Grat. Univers. pag. 1579. & 1649 Altera est  
 Calvinii, cujus verba citavimus dis. 1. th. 22. Calvinum sequuntur pleriq;  
 omnes, inter quos Chamier Tom. II. lib. 3. cap. 1. num. 12. *triplicem ar-  
 bitrio humano necessitatem adscribit, internam, quia non potest arbitrium  
 agere, nisi pro sua natura, si ergo sit bonum, agit benè necessariò, si sit ma-  
 lum, malè: consequenti, cum supposito fine aliquo necessariò mediis uten-  
 dum &c. necessitatem deniq; directionis, quæ est à causis superioribus mo-  
 ventibus voluntatem, sic Deus dirigit per providentiam suam cor hominis  
 etiam ad singularia effecta &c. & cap. 5. postquam num. 8. dixerat: Sane  
 movet Deus non tantum creaturas brutas, sed & rationales: & ita movet,  
 ut prima causa secundas, nec naturaliter sive contingenter: sed consilio, de-  
 cretoq; non minus certo quam sapiente. Frustra ergo esse nullo modo potest:  
 quacumq; tandem sit causarum secundarum libertas &c. postea operosè  
 probat voluntatem creatam, quamlibet liberam determinari à Deo ad suum  
 effectum, & ad eum certo movere voluntatem, Deum determinare eventus  
 voluntati, & ut homines per instrumenta inanima conficiunt id quod ani-  
 mo destinaverunt, ita Deum exsequi per homines opera sua: falsù esse, dicere,  
 quod effectuum contingentia oriatur à causis secundis: Deum non tantum  
 prævidere, sed & prædeterminare ea quæ sunt peccata. Hæc Chamier. Ad-  
 de Leidenf. Theolog. Disputat. de Providentia synopf. pur. Theolog.  
 thes. 16. seqq.*

§. 26. Priorem sententiam primum examinemus. Nos statuimus,  
 voluntatem esse facultatem libere eligendi, volendi & nolendi, adeò ut  
 libertas sit de essentia ipsius voluntatis, quippe quæ nihil aliud est quàm  
 indifferens potentia ad agendum & non agendum, patiendum & non  
 patiendum. Hinc patet, formaliter loquendo, libertatem esse in volun-  
 tate tantùm, quanquam intellectus sæpe sit conditio sine qua non exer-  
 cet voluntas libertatem. Nam libertatem contradictionis seu secundum  
 exercitium actus etiam sine ope intellectus exercet, nimirum cum intel-  
 lectum voluntas jubet intelligere vel non intelligere. Patet amplius, li-  
 berta-



bertatem non posse propriè & adæquatè dici esse in intellectu radicali-  
ter, quasi fluat seu proveniat libertas ab intellectu ut ramus à radice.  
Hæc ergo præsupposita sunt. Nunc quaritur an voluntatis prælectio  
ab ultimo Judicio intellectus practici determinetur, v. g. duobus ab in-  
tellectu propositis bonis & malis, an voluntas in elegendo determinetur  
à Judicio intellectus. Et sane ipsa experientia testari videtur, sæpe  
eligi bonum, quod intellectus judicat postputandum, derelicto bono  
majori, quod intellectus svadet amplectendum. Sed rationibus agamus.

§. 27. Primam hanc damus. Si indifferentia judicii sufficit ad li-  
berum arbitrium, tunc libertas voluntati non est interna proprietas, sed  
extrinseca quædam denominatio. At posterius falsum E. & prius.  
Connexio Majoris patet. Voluntas enim est extrinseca intellectui. Jam  
autem ex sententia adversariorum ab extrinseca indifferentia judicii tri-  
buitur voluntati libertas, quatenus scilicet voluntas indifferenter se ha-  
bet ad hoc aut illud judicium rationis sequendum, ad eundem modum,  
quo appetitus indifferens est, ad sequendum hoc vel illud objectum,  
quod à sensibus offertur; quo oculus ad hunc vel illum colorem reci-  
piendum, loco motiva ad movendum se dextrorsum, sinistrorsum in-  
differens est. Secundò, sic arguimus: si voluntas non est libera for-  
maliter & intrinsecè, nulla est necessaria immediata Dei convertentis  
operatio in voluntatem. Atqui posterius falsum esse dicunt Dordrace-  
ni. E. prius quoq; falsum. Majoris connexio manifesta est. Sufficeret  
enim, si Deus intellectum illuminaret atq; reformaret, quem non pot-  
est non sequi voluntas.

§. 28. Secundam rationem excipiat tertia. Si Judicium intellectus  
necessario sequitur voluntas, nullum potest dari peccatum contra con-  
scientiam & in Spiritum Sanctum, imo sequitur, nullum dari pecca-  
tum Voluntatis propriè dictum. Atqui falsissimum hoc est. E. & illud.  
Connexio inde claret, quia peccatum contra conscientiam & in Spi-  
ritum Sanctum est, cum homo mera malitia (quæ certè moralis pravitas  
in voluntate est, non in intellectu) blasphematur veritatem, vel agit  
contrà ea, quæ conscientia & judicium rationis practicum sequenda  
dictat. Imò voluntas, quia intrinseca libertate caret, adeoq; agit con-  
formiter, prout dictat intellectus, nec præcepto nec interdico adstrin-  
gi potest. Unde necessario sequitur, nec peccare voluntatem posse,  
adeoq; nullum peccatum propriè loquendo voluntarium esse vel dici  
posse.



posse. Quarto, si in indifferentia Judicii practici consistit libertas voluntatis, sequitur, æquè liberum esse hominem peccato originis vel actualibus corruptum, ac erat integer & est regeneritus. At hoc falsum, E. & illud. Major sic probatur. Æquè enim Adam integer, æquè regeneritus ac corruptus & irrogenitus necessario sequitur Judicium rationis practicum. Nec dici potest in voluntate quidem Adami, cum laboretur, ulla corruptio extitisse. Deniq; quintò, si indifferentia judicii sufficit ad liberum arbitrium, sequitur, quod voluntas non possit eligere ex duobus inæqualibus bonis, quorum alterum merito præfert intellectus, bonum minus, tum etiam, quod ex duobus æqualibus non possit alterum eligere. At hoc evidenti experientia adversum. E. & illud. Major est in conspiciò posita quoad primum: nec minus, quoad alterum, quia Judicium intellectus in neutram partem determinat voluntatem.

§. 29. Accedimus ad secundam sententiam, quæ hodie communior est, eamq; evertimus sequentibus argumentis. Primum est, quod vim omnem divinæ comminationis tollit. Quod sic probatur. Primæ illius comminationis: Quocunq; die comederis de fructu arboris vitæ morte morieris: hujus inquam, comminationis secundum Calvinianos non potest esse alius sensus, quàm hic: Quocunq; die Ego (DEUS) prædeterminante concursu meo & auxilio, quo hæcenus in perseverantia te conservo, te non amplius sustentavero, inevitabiliter & necessario comedes, atq; inevitabili morte morieris. Quæ hæc est comminatio, quæ in ipsum comminantem confert universam & adæ, quæ tam originem illius culpæ, cui opponitur comminatio? Nam aut potuit non labi Adam, aut non potuit non labi. Si illud, cadit physicè prædeterminans e concursu, antecedenter se habens ad voluntatis libertatem. Si non potuit non labi, idq; propterea, quia ipsius voluntatem prædeterminavit Deus, annon perit vis comminationis divinæ? Hoc primum est argumentum.

§. 30. Alterum est, quod planè evertat ordinem derelictionis in scripturis nobis monstratum, & consequenter ipsas scripturas. Nos prælucente scriptura 1. Sam. 15 25 Esa. 30. 12. Os. 4 6. Jerem. 6. 19. cap. 31. 31. Levit. 26. 14. Act. 26. 28. statuimus, non prius hominem desereri à Deo, quam ipse Deum deserat. Contra Calviniani prius desereri à Deo hominem, & postea hominem a jure deserere, imò non posse non deserere Deum. Quod in tanta Evangelii luce nulla ratione tolerandum est.

Fin.



Fingunt quippe v. g. Adamum prius à Deo desertum, adeoq; fingunt, Deum prius fregisse ordinem illum, ad cuius observantiam tam severa poena proposita hominem obligaverat, quo facto non potuit non sequi hominis à Deo deserti ruina. Tandem sic dicimus, illa sententia tolli distinctionem regenitorum ab irrogenitis. Quod sic probatum damus. Uterq; enim se habet merè passivè, adeo ut non minus conversi & regniti hominis progressus, quàm initium conversionis sit à prædeterminante Deo. Unde sequitur, Deum simpliciter nolle, ut homo plus boni faciat, quam facit, & plus mali omittat, quàm omittit, atq; utrumq; ut sic fiat, ab æterno decrevisse, quæ sunt ipsissima Calvinistarum verba. Vide Test. Syll. in Act. Remon. par. 2. p. 36. His rationib; addè rationem, quam §. 23. posuimus. Quod videlicet hæc sententia libertatem voluntatis tollit: quam prælucente scriptura semper credidit Ecclesia Catholica, inq; libertatis (non spontaneitatis) & gratiæ concordia adstruenda desudavit.

§. 31. Restat extremum hujus Disputationis punctum, de peccati causa. Quam esse Deum tum apertè, tum per validas consequentias asserunt Calviniani. Non sollicitabimus hic privatorum Doctorum puta Zwinglii, Martyris, Beza, Piscatoris & similibus locutiones: operiantur illæ unâ cum suis autoribus silentio nunquam rumpendo: tantum ex illis scriptis, quæ universalia sunt Calvinianis & quasi symbolica, ut ex proœmio Dissert. 1. liquidum est, testimonia rem totam in conspicuo ponentia afferamus. Ita q; Calvinus lib. I. Instit. cap. 18. sect. 3. Deum ait, *quæ benè vult, per malas voluntates malorum hominum implere* & lib. 3. cap. 23. sect. 8. distinctionem voluntatis & permissionis rejicit, fateturque, *voluntatem Dei esse rerum necessitatem, eoq; necessario futurum esse quod ille voluerit.* sect. 7. dicit Deum *ideo præscivisse, quem exitum habiturus homo esset quia decreto suo sic ordinârat.* Id sic explicat lib. 1. cap. 18. sect. 1. *nihil efficere homines, nisi arcano Dei nutu, nec quicquam deliberando agitare, nisi quod ipse jam apud se decreverit & arcana sua directione constituat* sect. 2. & 3. dicit, *apertè se ostendisse, Deum vocari omnium eorum autorem, quæ isti censors volunt otioso tantum ejus permisso contingere.* lib. 2. cap. 4. §. 4. *malos ait excitari, roborari, versi à Deo, qui opus suum in reprobis adimpleat, ita ut efficacia agendi penes Deum sit, illi tantum ministerium præbuerint:* & sect. 5. *Spiritus ergo impurus, ait, Dei spiritus vocatur, quia ad ejus nutum potentiamq; respondet, instrumentum*



magis ipse in agendo, quam à se author. Confels. Gallican. censeat, Deum sic uti Diabolus omnibus & peccantibus hominibus tanquam instrumentis, ut quicquid illi male agunt, id ipse iuste ordinaverit. Heidelberg. im außführ. Bericht cap. 7, p. 204. ajunt: Es geschehe nichts ohne den ewigen Rath vnd Willen Gottes/es sey guts oder böse/ ja es musse alles also geschehen/ wie es geschicht. & pag. 211 das Werck ( Judæ, Herodis, Pilati in Christi passione) ist fürnemblich Gottes Werck gewesen. Judas aber/ Pilatus/ Herodes sampt den Heyden vnd dem Volck Israel sind nur Instrument vnd Werckzeuge gewesen/ die Gott zu verrichtung solches Wercks gebraucht habe. Hæc nunc sufficient: plura qui cupit, adeat Acta Remonstrantium part. 1. pag. 41. ubi collegerunt Calvinistarum. testimonia, Deum non obscure vocantium authorem peccati: & part. 2. pag. 48. seqq. ubi testimonia Calvinistarum commemorantur, docentium, Deum velle, deternere, procurare hominum peccata, eorumq; opera insana, stulta, crudelia & sacrilegam sui nominis blasphemiam, movere, linguas hominum ad blasphemandum: Deum ad peccata, quæ palam prohibuit, occulta ratione homines impellere, peccantes non agere contra voluntatem Dei veram & propriè dictam, consentaneum esse voluntati Dei, quod injustum est, id est, quod præcepto ejus contrarium est, quin imo veram & capitalem culpam esse facere Dei voluntatem pag. 52. seqq.

§. 32. Hæc ipsa evidentè ostendunt, Calvinianos, quicquid dissimulent, Deum censere veram & propriè dictam peccatorum atq; scelerum omnium causam. Addimus duas consequentias, Primò, Quicquid; statuunt causas secundas ad faciendum & volendum, adeoq; ad omnes actiones cum omnibus circumstantiis suis à Deo prædeterminari; illi Deum omnium faciunt scelerum autorem. Atqui Calviniani id faciunt. E. Major patet: cujus enim est actio, ille est causa efficiens. Atqui Dei & solius est actio, prædeterminatio scilicet ad peccandum. E. Deus & quidem solus est causa efficiens peccati, non homo: hic enim prædeterminatur: prædeterminari autem est pati: pati porro non est efficientis causæ sed materialis. Dices peccatum esse malitiam actionibus adhærentem, quæ tantum est à causa secunda, non vero à prima. Respondeo: imo magis à prima quæ determinat, quam à secunda, quæ determinatur, seq; habet merè instrumentaliter ad id quod facit & prout facit: neq; enim aliter ut faceret, in potestate fuit causæ secundæ ex hypothesi adversariorum omnium. Deinde, cum duæ causæ ad unam

con-



concurrunt actionem, quarum altera ex libertate agit, altera ex necessitate, neq; tam agit, quam patitur, tum causa quæ ex libertate agit, totam peccati culpam sustinet, illa vero, quæ ex necessitate agit, culpæ expers est. Atqui secundum Calvinianos ad peccatum duæ concurrunt causæ, altera libera, Deus nempe, altera necessario agens, determinata quippe divino decreto & ordinatione, ut non possit non sic agere. E. Minor est manifesta ex dictis. Major lumine quoq; naturæ nota est, quod dicitur, eum, qui sit culpæ particeps, libertatis quoq; participem esse oportere, cujus vi potuerat non peccare. Quæ enim necessario agunt, ea nec legis nec transgressionis capacia sunt.

### COROLLARIUM I.

Diffidere à nobis Calvinianos in religionis fundamento ex dictis manifestum est. Nempe & prædestinationis articulum pro corde Ecclesiæ suæ & veluti constitutum Calvinisticæ sectæ (Calvini quippe proprium est absolutum illud decretum: cætera cum Zwinglio, aliisque communia habet) agnoscunt, adeoq; in institutionibus Catecheticis, Synopsis, aliisque scriptis tanquam fundamentum substruunt, cui postea vel creationis articulum una cum aliis; vel, ut Leidenfes, Incarnationem aliosq; Cardinales fidei articulos superstruunt; & vero distare toto Coelo nostram & illorum sententiam negare haud possunt. Saltem addimus hic suffragium Bezzæ Respon. ad Colloq. Mompelg. pag. 12. *doctrinam de prædestinatione dicentis esse totius Christianismi fundamentum.* Atqui in illa dissentimus, ut patuit. E. dissentimus in eo, quod est totius Christianismi fundamentum. Adde praxim Calvinianorum, qui hoc nomine noluerunt tolerare Remonstrantes. De quo dicitur amplius sub finem harum Exercitationum, Sed vide CL. Hunnium *διακ.* §. 572. seqq.

### COROLLARIUM II.


Notandum ex eodem Hunnio *διακ.* pag. 41. *Esse quosdam articulos fundamentales primarios, quosdam secundarios: hos salva fide posse ignorari, non tamen posse negari: articulo enim fundamentalium quidam se iunxit ad hoc, non ut fides sit, sed ad præveniendū falsas opiniones fidei contrarias, non ratione sua positionū, sed opposita negationū; non propter se sed propter alios articulos; sive per accidens, non per se, quatenus ipsi suo concursu fundamentum non efficiunt, saltem prævent, ne error oppositus*



positas fundamentum per alia dogmata rursum destruat, ut non tam dogma  
 ipsum sit fundamentale, quam contrarius error, quem dogma averit, ac  
 tollit. Tales igitur possunt simplici ignorantia nesciri, non autem per oppo-  
 siti assertionem negari. Gemella fere his docet Forbesius instruct. Hist.  
 Theol. l. i. c. 7. num. 8. Aliud est nescire dogma aliquod; aliud nolle illud  
 scire. Item, aliud est quadamtenus & μεχερ τε scire; aliud prorsus  
 ignorare; aliud etiam exacte scire. Errore simplice deterior est in errore  
 contumacia. Diversa questio est, quid Evangelii Praeones docere o-  
 porteat, ab ea, qua queritur, quid quique audientium exacte scire  
 teneatur. Quorundam etiam dogmatum non semper fuit necessaria  
 clara ac diserta affirmatio; quia nondum ita plane revelata erant: quo-  
 rum tamen semper nefaria erat, est & erit, negatio. Hæc qui ad  
 negotium prædestinationis videre cupit applicata, adeat Pareum,  
 cujus iudicium de V. articulis in Synodo Dordracena prælectum sess. 99.  
 pag. 297. Sicut, inquit, lac infantibus sufficit pro nutrimento: non suffi-  
 ciat vero adultioribus in fide, qui cibum solidiorem requirunt: non doctori-  
 bus Scholarum, Pastoribus Ecclesiarum, quibus ex officio & conscientia  
 uberior Theologicarum rerum scientia est necessaria. Et paucis interjectis:  
 Pari ratione dicendum, articulum hunc (semoti nunc equivocationibus)  
 Catechumenis & idiotis, misteriorum sublimiorum non capacibus, sufficere  
 ad salutem posse, satis esse illud τὸ ὄτι, quales se esse, quibusq; uti mediis ad  
 salutem consequendam oporteat: credentes nempe in Christum, inq; fide  
 & obedientia fidei ad finem usq; perseverantes, per Verbi & Sacramento-  
 rum ministerium, & per huic cooperantem gratiam. Adultioribus vero  
 in fide, in primisq; Scholarum & Ecclesiarum Doctoribus, qui nihil præ-  
 terea necessarium dixerit, jejuna profecto & imperitus rerum estimator  
 erit. Quin imò juvat oportetq; hos altius scrutari Scripturas, penitusq; co-  
 gnoscere ipsum doctrina prædicta τὸ δὲ ὄτι, hoc est, fontem & causam primam  
 scripturis revelatam: unde qualitates illæ mediæq; salutis cum gratia & sa-  
 lute ipsa, originaliter in nos descendant; unde etiam descendat ista quan-  
 titudine discriminatio? Hæc Pareus: qui in eo, quod addit de cogni-  
 tionis illius finibus, gloria Dei & consolatione, id dicit, quod non  
 solos tangit adultiores, verum ipsos quoq; Catechu-  
 menos & idiotas.

⦿(O)⦿




















concurrunt actionem, quarum altera ex libe-  
ritate, neq; tam agit, quam patitur, tum  
totam peccati culpam sustinet, illa vero, quae  
expers est. Atqui secundum Calvinianos ad  
causam, altera libera, Deus nempe, altera nec  
quippe divino decreto & ordinatione, ut  
Minor est manifesta ex dictis. Major lumi-  
quod dicitur, eum, qui sit culpae particeps, l-  
esse oportere, cujus vi potuerat non pecca-  
agunt, ea nec legis nec transgressionis capaci-

### COROLLARIUM

Dissidere à nobis Calvinianos in reli-  
dis manifestum est. Nempe & praedestinationis  
clesiae suae & veluti constitutum Calvinisticum  
proprium est absolutum illud decretum: cae-  
communia habet) agnoscunt, adeoque in in-  
Synopsisibus, aliisque scriptis tanquam funda-  
postea vel creationis articulum una cum ali-  
carnationem aliosq; Cardinales fidei articu-  
distare toto Coelo nostram & illorum senten-  
Saltem addimus hic suffragium Bezae Respo-  
pag 12. *doctrinam de praedestinatione dicentis*  
*fundamentum.* Atqui in illa dissentimus, ut per  
quod est totius Christianismi fundamentum  
norum, qui hoc nomine noluerunt tolerare  
dicetur amplius sub finem harum Exercitatio-  
nium διασκεψ. §. 572. seqq.

### COROLLARIUM

Notandum ex eodem Hunnio διασκεψ.  
viculos fundamentales primarios, quosdam se-  
posse ignorari, non tamen posse negari: articulos  
quidam sciuntur ad hoc, non ut fides sit, sed ad pro-  
fidei contrarias, non ratione sua positionis. sed op-  
pter se sed propter alios articulos; sive per accidens  
ipsi suo concursu fundamentum non efficiunt, sal-

tera ex neces-  
sitate agit-  
e agit, culpae  
concurrunt  
determinata  
sic agere. E.  
a nota est,  
participem  
a necessario

mento ex di-  
o corde Ec-  
ni quippe  
glio, aliisque  
atecheticis,  
ruunt, cui  
denfens, In-  
nt; & vero  
ud possunt.  
Mompelg.  
ristianismi  
imus in eo,  
n Calvinia-  
s. De quo  
CL. Hun-

uosdam ar-  
salva fide  
mentalium  
opiniones  
; non pro-  
quatenus  
ne error op-  
positus

